Res. 4
Eur.
331
16

4° Exx 398 (16.
Illeanal, Jamal

Eur. 331 (15

De inclito atqꝫ apud Germanos rariſſimo actu eccleſiaſtico Kaleñ. Auguſti Auguſte. Celebꝛato anno domini.

1518.

Bayerische Staatsbibliothek München

Ad Reuerendissimam in christo patrem et Illustrem Principem Fabricium de Carreto et Marchionibus finalis Sacrosancti Militaris ordinis beatissimi Joannis Baptiste ꝛc. Magnum magistrū Rhodi ꝛc. Jacobi Manlij Friburgensis Brisgaudij doctoris diui Maximiliani Cesaris Augusti Hystoriographi. et Consiliarij ꝛc. Hystoria.



¶ Epistola.

QVemadmodum fortissimi olim fratres Machabei veri dei cultores ptra turpissimos idolatras diuinicq; cultꝰ contemptores acerrime pugnare solebant. Ita nũc strenuissimi fratres militaris ordinis sancti Joannis Baptiste precursoris domini vere fidei defensores cõtra spurcissimos Catholice ecclie hostes pugnare solent quo fit vt terra mariq; non altior fortuna eis arridere possit quam cum duos gladios. Quoz saluatoz in euãgelio meminit sibi in auxilium venire senserint. Qua pter reuerẽdissime. in xpo pater ꝛ princeps dignissime in oipotẽtis dei cõseruatoriscq; nostri ac omniũ celitum laudem ꝛ honorẽ ac deniq; nobilissime ꝛ bellicosissime Germanice nationis decus atq; perpetuam rei memoriam tueq;. R. P. Et optimoz fratrum tuoz gaudium atq; incrementũ hoc de preclarissimo. atq; in Germania rarissimo munere. Quo sanctissimus Leo decimus Pontifex maximus Diuum Cesarem Maximilianum Romanoz Regem ꝛ Christiani nominis Imperatorem Augustum necnon Albertũ miseratione diuina sacrosancte romane ecclesie tituli sancti Crisogoni presbyterum Cardinalem Sancte Moguntine sedis Magdeburgeñ ecclesie Archiepiscopũ sacriq; Romani imperij per Germaniam Archicancellarium Principem Electorem ꝛ primatem Ecclesie Halberstateñ Administratorem Marchionem Brandenburgeñ Stetteñ Pomeranie Casubozum ꝛ Schlauozũ Ducem. Burggrauium Nurembergeñ. ac Rugie Principẽ. Ad christiane Reipublice augmentũ decorauit. familiari stilo hystoriam conscribere placuit.

¶ Hystoria

DAteat igitur. R. P. tue vt felicissima post festum Pentecostes Dominica nona que Anni Millesimi Quingẽtesimi decimioctaui. primus dies Mensis Augusti erat Apostolice commissioni satis faciendi causa. Reuerendissimus in christo pater ꝛ dominus dñs Thomas Tituli sancti Sixti presbyter Cardinalis sanctissimi Leonis decimi Pontificis maximi Legatus a Latere. Vir quidem omni virtutum genere cumulatissimus circa sextam eiusdem diei horam ante Meridiẽ in ciuitate Augusteñ Palatiũ vna cũ familia pedes eriens ꝛ Re-

uerendissimus in christo pater & dominus dominus Matheus sancti Angeli sacrosancte romane ecclesie Diaconus Cardinalis Gurcen. Princeps Coadiutor Salisburgen. ac apostolice sedis in Germania legatus de latere collega suus. Reuerendissimi in christo p. & principis Alberthi noui Cardinalis. &c. Edes pedestres petierunt: quo per dictum principē comperto m ox illis ad fores vsq; obuiam venit eosdem dulcissime suscipiendo. & deinde omnes tres vna simul earundem edium sacellum intrauerunt ibiq; supra notati Reuerēdissimi D. Legati a dicto Cardinali summi Pontificis nole iuramentū. quale singulis ad Cardineū apicē transeūtib⁹ prestari solet receperūt. Quo facto eiusdē noui Cardinalis. cancellarius vir quidē multa laude dignus palam voce alta sanctissimi domini nostri breue ad prelibatū Cardinalē missum legit cuius tenor de verbo ad verbum est: vt sequitur.

Leo papa. X.

Dilecte fili noster: salutem & apostolicam beñ. fraternitatē tuā. Que ex illustri Brandenburgeñ prosapia: & in Germania vetustissima magnisq; ponderis familia ortum ducit. Queq; clarissimor pgenitor suor sctā vestigia secuta de nobis sctāq; apostolica sede benemereri semp studuit ad summū Cardinalatus honorē q̄ nulli maior a christi vicario cōcedi potest: & ipsam p se dignā: & a charissimo i christo filio nostro Maximiliano E. Imp. nobis p litteras ipsius: & nuncios sepe ac vehementer commendatam promouere statuentes: id vt nacta tēporis atq; rerum opportunitate faceremus. Et quo nostro desiderio & tue fraternitatis dignitati: atq; decori magis p̄sultū videretur: ea nunc nobis visa est huius tēporis non solum commoda: & honesta: sed etiam laudabilis occasio in qua de expeditione sanctissima contra salutifere crucis hostes agendū est: & fraternitas tua tanto honore ornata magis de nobis christianaq; religione propaganda benemereri possit. Itaq; hec nostra nunc de te promotio non solum grata sed etiam perucunda tibi longe magis esse debet: quod circumspectionis tue fide religione: & deuotione erga nos & dictam sedem erigentibusq; tuis meritis & preclaris virtutibus te solum non in magno numero Cardinalem creauimus. Nos quoq; in bonor omnium ope-

rum fatoze: ꝛ te spem locauimus: quod si ante hac de nobis sancta apostolica sede: ꝛ repu. Christiana bene mereri studuisti iam iam to maioze alacriozeue animo tuo officio atq; nris pijs desideriis satisfacere poteris q̄ hoc sacratissimo dignissimo munere oznat⁹ eris Te igitur ad omnipotentis dei ꝛ totius curie celestis laudē ꝛ gloriam personeq; tue oznamētum clarissimeq; Marchionū Brandenburgeñ prosapie perpetuū decus ꝛ amplitudinē hac die. xxiij. Martij in consistorio nostro secreto de aliozum venerabiliū fratrum nostrozum. S. R. E. Cardinalium consilio pariter ꝛ assensu in Cardinalem creauimus Superest: vt tu qui ex Moguntineñ electo: imperij ꝛ Magdeburgeñ ecclesijs Germanie primas in ecclesia ꝛ agro dñi magnus ꝛ dines eras atq; es nunc Cardinalatus onere atq; honoze decoratus: quid dignitas ea sibi velit quid deus ipse abs te postulet intelligas: ꝛ sedulo mediteris: quid te deceat: atq; etiam dilectum filium nostrum Thomam tituli S. Sixti presbiterum Cardinalē legatum nostrum de sanctissima: ꝛ pernecessaria contra perfidissimos fidei nostre hostes ꝛ Christianoz sanguinem deletionem q; sitientes pertractaturum ꝛ nostro nomine curaturum eiusq; pias ꝛ optimas persuasiones: ꝛ sana consilia que nostra sunt audias: ea quoq; executioni debite mandes: vt que pulchriozi totius orbis europe pars iam parua conspicitur non solum diebus nostris ab impiozum manibus seruetur sed illozum imperium seuaq; potestas vel ad sanctam fidem conuertatur: vel eruatur: Qui vero nos ꝛ sancta piaq; vota nostra sequentur rectam viam ingressi promissa felicitatis eterne premia consequentur. Datum Rome apud Sanctū. Petrū Sub annulo piscatoris die. viij. Maij. M. D. xviij. pontificatus nostri anno sexto.

Lecto breui reuerendissimi domini legati vna cum venerabili domino Felice Turphmo Ceremoniarum magistro viro quidem moribus: ac literis ornato ipsi nouo Cardinali cardineū rubri colozis habitum quem vulgo cappam vocant imposuerunt insuper vnanimiter sacellum edeq; egredientes ꝛ medio nouo Cardinali R. tituli sancti Sixti a dextris ꝛ R. sancti Angeli legati a sinistris ad inclitissime beatissimeq; Marie virginis Kathedralem ecclesiam Auguste ibant hijs quoq; sic ingressis cum dextera cesari dicata esset: ipsi sinistram chozi partem occupauerūt vbi nouus Cardinalis primam legatus vero tituli sancti Sixti Secundam. Et sancti Angeli Legatus Terciam occupauerunt sedes.

Cum itaq; prefati .R. .P. Cesaris aduentum prope esse percipe
rent. Tunc. R.ti. sancti Sixti locū suū relinquens maius eiusdē
chori altare accessit. Vbi mox misse celebrande gratia se vt fieri so
let accinxit. Et inter accingendū Sacratissimus Cesar ꝛ nonnulli
principes tam Electores q̄ alij igenti Comitatu dicte ecclesie cho
rum petierūt. Cui sane cesar. sūma quadam decentitate sancti An
geli Legatus Et nouus Cardinalis obuios se dederunt. Cesar ve
ro heros omni maior laudeq; postquam glorioſissimis gestib⁹. ac
moribus Moguntino principi tanq̄ nouo sponso cōgratulatus
est. Deum Mylari fronte ad Lenam accipiens vnaq; chorum In
gressi Cesar dextrum illic supremū vt debuit Aureis ornamentis
locum fulgentem occupauit. Secundū vero Cardinalis Mogun
tinus. Tertiū autem illustrissimus princeps Ludouicus Comes
Palatinus Rheni dux Bauarie princeps elector. Quartum illu
strissimus princeps Fridericus Dux Saxonie ꝛc. princeps elector
Quintum illustris princeps Casimirus Marchio Brandenbur
gen̄: Sextum illustris princeps Fridericus frater Casimiri. Septi
mum illustris princeps Joannes Albertus alter frater. Octauū
illustris princeps Joannes Comes palatinalis de Leuchtemberg
Monum denicq illustris Lotharingie Ducis Anthonij oratores

In alio vero latere et opposito primus extitit Reuerendissim⁹
sctī Angeli Cardinalis legatus de latere. Secūd⁹ vero Marinus
Carracciolus sanctissimi domini nostri pape protonotarius. Ad
Serenissimū Cesarem Nuncius Tertius R. in christo pater illu
strisq; princeps Christophorus Archiepūs Bremen̄. Et collegij
Verden Administrator cōfirmatus Dux de Braunsuwig ꝛ Lune
borgck. Quartus R. in christo pater ꝛ princeps Georgius epūs
Bambergen̄. Quintus R. in Christo pater ꝛ princeps Gabri
el Episcopus Aichsteten. Sextus R. in christo pater princeps
Christophorus episcopus Augusten. Septimus R. in xp̄o pa
ter illustrisq; princeps Joannes administrator Ratisponen. Co
mes Palatinus Rheni Dux Bauarie. Octauus R. in Christo
pater ꝛ illustris princeps Arnestus Administrator eccl̄ie Patauī
en̄. Comes Palatinus rheni vtriusq; Bauarie dux. Nonus R.
in christo pater princepsq; Heinricus episcopus Ratzēburgen̄.
Decimus ꝛ vltimus R. in christo pater ꝛ princeps Petrus Bo
nomus Episcopus Tergestinus Cesaree Maiestatis Consiliari
us. Hijs itaq; principibus eo quo ostendimus ordine locatis se
dato populo impositoq; silentio R. titli sctī Sixti Legatus ren

diuinā cozsus est Domesticus vero eius sacrificulus ad altaris latus vbi Euangelium legi solet crucem. Et a tergo Aulicis quidam ex illustrissima vrsinozum familia ensem ⁊ Galerū seu Galeam tenentes steterunt. ¶ In latere vero vbi Epla legitur Magister domus ex legati fratre nepos qui pro nouo Cardinali rubeum pileū erecta tenuit manu. Deinde perfecta re diuina cū verū sit quod idem nouus Cardinalis ab aplica sede. xviij. die Mensis Martij prorime preterito rome in Cardinalium numerum receptus fuerit Tituli sancti Sixti Legatus eundem habito prius ad sacratissimum inuictissimumq; Cesarem ⁊ Electores Imperij alios; Principes Sermone ad Altare vocauit. Cuius sermonis tenoz talis est.

¶ Sermo legati.

¶ Serenissime Cesar Leo :x. pont. Max. Maiestati tua intercedente preclarum proindeq; in terris rarum opus. nūc efficit. fiunt sepe cardines orbis egregio aliquo splendore fulgentes. Verū hominem inuenisse vnū omni ex parte probatum non facile fuit. ascivit siquidē in sacrosancte romane ecclesie presbyterū Cardinalem Albertbū Moguntine ecclie presulē primatemq; Germanie gentis. fortune corporis. animiq; bonis nō mediocribus ornatū is namq; illustrissimus genere corpore vegeto atq; pulchro. etate floziba ingenio mentis acumine sacris litteris diuitijs dignitate potestate auctozitateq; prestans. Cōtinentie q; religionis ecclīasti ce. ⁊ reformationis radijs sic splendet. vt luceat lux sua cozā omnibus hominibus. accedit ad hec q; dum Imperatozis summiq; pontificis vnus atq; idem electoz excellit. Et vos pontificij ⁊ nos Cesarei electoris gloria illustramur cōmune itaq; ornamentū decus atq; beneficiū cōmunis letitia comitet. Surge igitur illustrissime princeps. ⁊ obseruandissime dñe Et Cardinee dignitatis insignetuis debitum virtutibus susceptum veni.

¶ Eo itaq; veniente. ⁊ humiliter flexis genibus cozā altari cōstituto idem legatus. quid nam dignitas ea sibi velit quid deus ab eo postulet. ac etiam quid eū contra truculentissimos fidei nostre hostes christianū sanguinē perniciemq; sitientes at ipsius summi pontificis nomine pro virili parte curare debeat declarauit. Et cū ipse ad singula proposita se tanq; obediētie filiū promptum atq; paratū exhibuerit Legatus caput eius pileo rubro decozauit: quo peracto nouus Cardinalis nouo apice insignitus in faldisterio ante altare: genu flexus perstitit donec canticum diui Augustini ⁊

Ambrosij per cantores Cesi. Maiestatis qui z totam missam solenniter ceanerunt solenni ritu cum organis decantari cur. Deinde perlectis certis collectis z orationibus per legatum sedis apostolice nouus Cardinalis surrexit: z cum maxima tam corporis quā mentis prestantia de altari ante diui Maximiliani Cesaris aliorumqz principū conspectū venit vbi de multiplici eadem die exhibito honore per doctissimū virum Laurentiū Zcoben vtriusqz iuris doctorem dicti noui Cardinalis cancellariū viua altaqz voce gratias persoluit hoc modo.

¶ Maxime deceret sacratissime Cesar Reuerendissimi in christo patres ac domini. S. R. E. de latere legati illustrissimiqz principes hominem summa eruditione: ac non mediocri facundia preditum in hoc splendidissimo: ac pene diuino vestro conspectu verba facere. In quo esset ea dicendi vis ea loquendi copia que maiestati vestre rei magnitudini z loci huius dignitati conuenire posset. Ego aūt cum nihil harū rerum in me agnoscam iure vererer ne aut vicio mihi dari possit aut temeritatis incusarer: si vel mea sponte vel meo ipsius consilio hanc prouinciā suscepissem. Verum cum Reuerendissimi in christo patris. Illustrissimi principis z domini domini Alberthi sancte Magutineñ sedis z. Magdeburgeñ ecclesie Archiepiscopi principis Electoris primatis z nunc sancte Ro. ecclesie denunciati presbiteri Cardinalis auctoritas: z voluntas me ad id coegerit vt in presentiarū gratias agere debeam. Et si hoc meam imbecillitatem longe superat qz z eruditissimi Demosthenis z eloquentissimi Ciceronis oratio consequi possit tamen in sacre Maiestatis z Reuerendissimaz Do. vestraz clemētia cōfisus non temerario ausu sed magis obediendi volūtate: breui oratione ea perstringā que Reuerendissimi domini principis mei erga sacratissimā Maiestatē: dignationesqz vestras Reuerēdissimas grati animi testimonia argumentūqz perhibeant: prius aūt qz id qz mihi in mandatis est peragā vnum qz iamiam in mentē subiit paucis exponam. Reuerendissimū dñm z principē meum amplissime hūc Cardinee dignitatis apicem minime ambiuisse quoniā dominatio sua Reuerēdissima non clam habuit maximū z laborem z animi sollicitudinē sibi adeptam dignitatē expostulare exactamqz pro tam locupleti tradito talēto dandam sibi esse rationē non ignorans Cardinales ipsos in sanctoz apostoloz vicem succedere eademqz ab ipsis requiri que illi virtute multa prestiterunt cum aūt sua amplitudo. S. D. nostri liberalissimū z pientissimū in se animum perspexerit in ea dignitate sibi deleganda: pro qua

sacrs cesarea maiestas plus studij: quam dominus ille meus reuerendissimus animi pro peculiari qua illum amplectitur clementia adiecit: voluit sua reuerendissima paternitas hanc sibi oblatā dignitatē simulatq; omnē curā: & sollicitudinē illi cōiunctā modeste agnoscere: ac amplecti: Et tam officiosis amantibusq; votis obtemperare. Igitur pro hoc inmortali beneficio in primis deo vni & trino poplite flexo non quas debet sed quas potest maximas ăgit gratias sueq; nunc̄ satis laudate matri virgini: ac toti celitū cohorti eius summi dei clemētissimā maiestatē deuotissime implorans que his diuinis muneribus atq; suscepti officij dignitati adsancte catholice fidei sue profectū satisfaciat atq; ac par est respondeat propicius sibi adesse velit: tum beatitudini sanctissimi domini nostri & sacre Cesaree maiestati vestre immortales dicit & habet gratias q; D. suam reuerendissimā hoc amplissimo munere ornare dignate sunt. Quicquid enim sua reuerēdissima D. vel honoris vel dignitatis ex hoc consequuta est id totū sanctitati & maiestati vestris vobis reuerendissimis dominis de latere legatis: ac sacro sancto senatui quod D. suam reuerendissimā in splendidissimū ordinem suum ascīri alboq; suo preclarissimo conscribi annuerint offerens se omneq; studiū suum & beatitudini pontificis & sacre Cesaree vestre maiestati vestrisq; dīsationibus reuerēdissimis ex animo propensum precaturq; vt deus opt. max. & beatitudinē pontificis & sacram vestrā Cesareā maiestatē vos atq; amplissimos reuerendissimos dños legatos pro sacrosancte ecclesie sue beneficio & amplificationū diez lōgitudine & omni bono replere atq; post eam tam carnem inmortali corona pro ingentibus meritis & gloriosis actibus coronare dignetur.

¶ Qua gratiaꝝ actione finita Cesaree maiestatis nomine per Reuerendissimū principē Petrum Bonomū ita responsum fuit.

¶ Responsio.

¶ Non erant reuerendissime in christo pater ac princeps illustrissime sacratissime Cesaree maiestati a reuerēdissima p. v. agēde gratie: q; ea apud sanctā apostolicā sedē huic suscepte sue dignitati partes suas adhibuerit quod q; se licet inuitam: & detrectantē ad Cardinalatus apicē suo studio sua industria & auctoritate prouehi curauerit: licet enim vestra reuerendissima p. sua singulari modestia

eum honorē effugere: ac tanti cardinis ornamenta cuitare constitu isset. Arbitratus est tamen Cesar non parū officij sui interesse nō id tantū perpendere q̄ erat modestie vestre reuerendissime p. pro prium q̄ quod erat imperialis ac Cesarei culminis peculiare: ꝛ nō q̄ ipsa modestie renuebat. Sed quod religio: q̄ sanctimonia: q̄ fru galitas: q̄ cetere dotes ꝛ virtutes eius exposcere videbant id totis viribus prosequi ac procurare niteretur: quidquid igitur a sanctis simo dño Leone. x. Pontifice maximo quidquid a sacro. Cardina lium collegio in reuerendissimā p. v. collatū est id non studio: non auctoritati sacratissime Cesaree Maiestatis sed virtutibus: ꝛ meri tis eius est concessum. Ea igitur sibi concessa merito dignitate in euum felix: ac sospes perfruatur non tantū pro suo honore: sed pro vniuerse Christiane reipublice cōmodo: ꝛ in eternā laudē ac glori am totius germanice nationis: sibi hoc de Cesare persuadeat q̄ si etiam nullis progenitor suor ac illustrissime sue prosapie meritis inuitatus esset a quibus se maximis cōmodis ꝛ honoribus exorna tum profitetur: poterat tamen solius vestre reuerendissime p. intui tu ad multo maiora permoueri. Qui etiam in posterū pro honore ꝛ dignitate sua conseruanda adaugendaq̄ omnē operā industriā: ꝛ auctoritatē perpetuo pollicetur.

¶ Postea dominus legatus quasdam litteras apostolicas manibus suis in publicum protulit ꝛ Cesari Augusto honorificētissime tradidit: que tunc clara voce per eximiū iuris consultū Jacobum Spiegel Cesaree Maiestatis secretariū ꝛ consiliariū recte fuerunt quarum tenor ita se habet.

¶ Charissimo in Christo filio nostro Maximiliano in Romanorum impera torem electo semper Augusto.

¶ Leo papa. X.

¶ Charissime in christo fili noster salutē: ꝛ apostolicā benedictio nem venienti ad maiestatē tuā dilecto filio nostro Tho. tituli san-

cti Sixti sancte Romane ecclesie presbitero Cardinali nostro ⁊ sedis aplice de latere legato ob eas causas quas ad vniuersam salutem christiane reipub. pertinentes per alias nostras litteras: ⁊ eo ipso Cardinali interprete tibi significauimus non putauimus alienum ensem ⁊ pileum preclaro: ⁊ solemni anniuersario natali domini nostri Jesu christi nocte nostris manibus consecratos eidem legato tradere tibi consignandos: quanq̃ non fumus ignari maiestatem tuam hoc excellenti munere a Romanis pontificibus sepe numero iam honestatã fuisse: sed cum argumentũ huiusce doni ministerium, contineat ecclesiastice potestatis cuius tutela ac defensio tibi precipue incumbit: vt qui sancte ecclesie aduocatus exitis: voluimus nos quoq; in hoc nunc munere nostrũ exercere: ⁊ virtutis tue iudicij ⁊ egregie in fidem christi voluntatis testimoniũ quum presertim nullo vnq̃ tempore iustius quam hoc: quo christiana resp. impijs conatibus crudelissimor hostiũ in discrimen vocata tuam pietatem sapientiam: tuam auctoritatẽ animiq; magnitudinẽ maxime requirit huiusmodi sacrosancta arma maiestati tue data fuerint: ac donata: ac semper quidem te pro amplitudine auctoritatis tue accinctũ gladio esse decuit super femur tuũ: vt esses promptus: ac paratus tum coercere improbos tum bonis presidio esse vt esset in tua prestantissima dignitate: ⁊ tutela equitati ⁊ iniurie pena constituta: sed nunc non tam eo accinctum esse quam cum distringi iam ⁊ vibrari oportet potentie tue dextera. Que enim non modo causa verum etiam occasio maior esse potest: quam ea qua nos nos in mediocres aut de longinquo metus sed in maximum ⁊ presens periculum vocamur non modo dignitatis nostre sed etiam salutis amittende nisi concordibus animis principum tuoq; imprimis christiana respub. fuerit fulta presidio. Hec vero nos vehementius maiestatem tuam aut ad hoc preclarissimũ opus suscipiende in fidem tuam publice salutis hortati fuimus aut illi tantam gloriam tantumue nomen optauimus quam ipsa nobis solũ sed cuncto orbi christiano suam operam fidem auxilium ⁊ litteris ⁊ nuncijs iam diudum pollicita est. Quibus quidem tuis promissionibus: quã in spem ⁊ expectationem ab omnibus ventũ sit: quanta alacritas animor in oim fideliũ cordib⁹ fuerit cõciliata libẽter scriberemus nisi maiestatẽ tuã nihil latere fideram⁹: quare cũ res ita se habeat: cape arma manu princeps fortissime: ⁊ sacri gladij quẽ tibi mittimus aciem aduersus dei hostes atq; tuos exercere appara-

dux belli sanctissimi defensor gentium verum deum colentiū vltor Barbararū: quibus enim titulis honoratior: aut quo genere cure atq; laboris illustrior esse potes quam si Augustā istam dignitatē qua polles ac singularē virtutē: qua preditus es in his rebus collocaueris: que maxime t catholici imperatoris pietatē postulant: t prestantissimi ducis virtutē: nos quidē: quod officij nostri t amoris erga maiestatē tuam fuerit nullū locum tempusue pretermittemus testificande atq; illustrande tum pietatis: t magnanimitatis tue tum nostre in te summe perpetue benevolentie. Erit aūt tue illius nobis note: omnibus laudate sapientie animaduersa occasione t opportunitate temporū periculoq; : quod nisi obuiā eatur omnibus imminet dare operam t efficere: vt tua eximia virtus: ac dignitas tibi gloriosa: orbi terrarū salutaris fuisse videatur. Datum Rome apud sctūm Petrū sub annulo piscatoris die. v. Maij est. xviij pontificatus nostri Anno sexto.

¶ Quibus litteris perlectis Cesar exhortatione legati ad altare domini transijt: ibiq; sacrosancta arma ensem videlicet: t galerū seu galeam: que ecclesiastice potestatis ministeriū continent velut fidelissimus Catholice fidei Dux tutor t protector accepit. Legatus vero ad dictum Cesarem oratione habuit talem.

¶ Petrum apostolum sereniſſime Cesar constat gladios habuisse duos: alterum omni ex parte suum. alterū ita suū vt a te educēdus sit idem nunc in successore suo Leone. x. pontifice maximo illius in terris vicario: cui data est omnis potestas in celo: t in terra ensem istū euangelice veritatis defensorē nuncupatū: qui t apostolice potestatis super gentes t regna sacrum est misterium: t diuine nihilominus in Jesu christo nato q̄uis scōm carnē paruulo quiescētis omnipotētie est sacramentū: maiestati tue offert: vt pote de Romano t de apostolico trono deq; sedēte in illo optime merite: ad hec fortitudinis: magnanimitatis: pietatis: religionis: iusticie: sapiētieq; splendoribus effulgēti t iure quidē maiestati tue ensis iste debetur: tuus enim est: tuum esse ritus ille satis cōprobat quo tu Cesar inter sacra pontificia anniuersario die natalis dñici si te cōtingat interesse coactum hunc de theca gladiū galeaq; hac adopertus: dum euangelium Joannis cantatur euangelice veritatis assertor: t tutor vibras solus namq; ecclesie defensoris aduocatiq; nomen accepisti tuum esse atq; fore nostra hec tempestas exposcat quando christiano: omniū oculi in te sperant domine vt aperias manum tuā ad ensem hunc capiendū stringendūq; in q; christi hostes coercendum sume Cesar inuicte spiritus sancti Galeam in columba gem-

mea: vt recondita animi mentisq; sedes absq; dolo ⁊ fraude tranquilla ⁊ fecunda a spiritussancto in columbe specie donante ac protegente seruetur. Non enim christianissimū imperatorē gentilium tyrannoꝝ decet ferinos imitari mores verū ita se iustum forte magnanimumq; victorē exhibere: vt columbina mansuetudine mitis serenus semperq; Augustus perseueret: accipe ⁊ gladiū hunc tuum quo iustice non solum iustitia: ⁊ iudiciū preparatio sedis tue tribuuntur: sed euangelice veritatis professores vniuersi sub tua protectione locantur: firmeť itaq; manus tua ⁊ exaltetur dextera tua contra Turcaꝝ rabiē atq; feritatē: faustū aūt felixq; sit q̄ hodiernus hijs sacris obtigerit dies cōmunis primo Ro. pontifici primoq; Augusto Petro siquidē apostoloꝝ principi dies hic dicatus est: sed ⁊ Octauius deuictis hodie Cleopatra ⁊ Anthonio orbis terrarum monarchia potitus est auctaq; vehemēter republica augusti nomē accepit sextilisq; mensi dedit: felicissimo igitur hodierno hocense post Constātinopolim Hierosolimāq; partā Ro. Imperiū apostolicamq; ecclesiā ad fines vsq; orbis terraꝝ propagare Maiestati tue semper Auguste largiatur Jhesus christus dominus noster.

¶ Post quam quidem orationē sacroꝝ q; armoꝝ suscep tiōem Cesaris iussu episcopus Tergestinus gratias egit hoc modo.

¶ Responsum datum nomine Cesaris Apostolico Legato in oblatione Ensis ⁊ Galee.

¶ Sacratissimus imperator: reuerendissime in christo pater mihus hoc nomine sanctissimi dñi nostri Leonis decimi pontificis maximi a paternitate vestra reuerendissima sibi oblatū gratissimo animo suscipit: offertq; se pro sancte apostolice sedis gloria proq; vniuerse Christiane reipublice necessitate non modo opes ⁊ facultates suas sed vitā ipsam ⁊ sanguinē vti ab ineunte etate semper cōcupiuit: quandocunq; se occasio obtulerit expositurū. Cuius quidē rei magnitudo: ⁊ si viridē magis inuentā: ⁊ fortius corporis robur quam in eo nunc sit exposcere videatur spiritussancti Galea ac fidei Clypeo frameaq; protectus vbi vires deficient: consilio tamē ac imperterrito animo christo auspice ⁊ ductore huic sancto proposito: ac necessarie in hostes fidei expeditioni nunq; defuturus est.

¶ Peractis demum pulcherrime rebus omnibus Legatus ad altare stans populo benedixit ⁊ deinde sacerdotalibus vestibus exutus

sese Cardinalis vestiuit ornamentis: & tandem simul cum Cesare ac aliis principibus Cardinalibusq; ecclesiam exiuit: Cesar autem cū ambobus legatis ac etiam nuncio apostolico principibus electoribus aliisq; imperij proceribus nouum Cardinalem ad palatium vsq; suum reduxit. Deinde vero vtrumq; Legatum versus eorum hospitia comitatus est.

¶ Et postremo Cesar atq; alij principes ad sua quisq; tecta redierunt. Ita nobilissimus splendidissimus actus huiusmodi absolutus est: approbāte deo optimo maximo cui sit honor & gloria in secula. Actū sit vrbe Augusta. Anno Christiano Millesimo quingentesimo decimo octauo. Kalen. Augusti.

¶ Cum priuilegio Imperiali.

. Benedictenpeyren .
. fr̄isanes .